



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 34. Pretiosa mors sanctæ Theresiæ Carmelitarum Fundatricis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

mumque Sacramentorum usum propi- Sæcul. XVI.
 nare posset, interim spondebat, nul- A.C. 1582.
 lam vim se conscientiis illaturum, sed
 unice optaturum, ut quivis ex utraque
 Religione in Imperii comitiis approbata
 alterutram, quæ præplacuerit, pro suo
 arbitrio amplectatur: de cetero autem
 inquiebat, quod nunquam in mente ha-
 buerit, Capitulum suo electionis jure
 privare, minus vero ejus privilegia,
 atque immunitates infringere, adeo,
 ut tunc, si eum vel brevi, vel nonnisi
 post longævus annos mori contingeret,
 aut ob temporum vicissitudines Electo-
 ratum abdicare cogeretur, novam ele-
 ctionem ad Capitulum pleno jure de-
 volvi sincere vellet.

§. XXXIV.

*Preiosa mors sanctæ Theresiæ Car-
melitarum Fundatricis.*

Hucusque sancta Theresia suo Carme- Riberavit.
 litarum Discalceatorum Ordini ad S. M. Te-
 vitæ perfectionem promovendo semper resiæ l. 3.
 immoto studio intenta erat; postquam cap. 15.
 enim ferme viginti suæ reformationis Ville fore
 Monasteria erexerat, tandem nullis ad ibid Hist.
 versitatibus, quas malignus hostis ad- Ref. Carmel.
 versus eam suscitaverat, unquam fracta,
 minus vero a firma in Deum fiducia,
 ac patientiæ studio dejecta Burgis di-
 scessit, & Palentiam, inde vero Medi-
 nam

Sæcul. XVI
A.C. 1582.

nam profecta est, Abulam, cujus Monasterii Priorissa erat, secessura: cum vero Medinæ ageret, eam Carmelitarum Vicarius Provincialis Albæ Ducissæ nomine rogabat, ut Albam concederet, quo etiam die sancto Matthæo sacra jamjam morbo correpta advenerat, ubi per aliquot horas cum Ducissa colloquens ad Carmelitarum Virginum Monasterium in eadem Urbe situm secessit: altera vero die piis exercitiis vacans ab eo tempore usque ad sancti Michaelis festivitatem ægre vitam trahebat, cumque eadem die sanguinis fluxu laborare inciperet, vitæque suæ finem appropinquare sentiret, lectum petiit, atque Vicarium Provinciale advocans extrema morientium Sacramenta sibi administrari efflagitavit, & postea ad carissimas suas Filias conversa, his verbis eas alloquebatur: *obsecro vos in Domino, filix meæ charissima, ut primævas instituti leges simul, & constitutiones quam accuratissime, integerrimeque observetis: simul etiam pravum, quod hæc parum diligens vobis Religiosa dedit, exemplum nolite, quaeso, respicere, sed quidquid hoc ipso deliqui, ejus a vobis mihi velim veniam dari.*

His dictis sacratissimum Dominici Corporis viaticum cum summa animi demissione, ac maximo pietatis sensu rece-

recepit, altera autem die feria quinta, ^{Sæcul. XVI.}
 quarta Octobris, postquam per quatuor- ^{A.C. 1582.}
 decim horas cum morte luctata erat,
 circa nonam noctis horam Creatori suo
 animam reddidit: cum vero tum hic
 ipse flueret annus, quo facta temporum
 est, & Calendarii correctio, decem ex
 illo sublatis, qui excreverant, diebus,
 idcirco primus post ejus obitum dies
 fuit ejusdem mensis decimus quintus,
 quo ejus festivitatem Ecclesia celebrat,
 quamvis dies obitus sui tum computa-
 tus fuerit pro decima quarta Octobris.
 Ceterum S. Theresia vivebat annos se-
 xaginta septem, menses sex, & dies
 septem, ex quibus quadraginta, & se-
 ptem in vita religiosa traduxit, eo-
 rumque viginti septem primos in In-
 carnationis cœnobio, & posteriores vi-
 ginti in originaria, primigeniaque Car-
 melitarum Regula transegit.

Altera post obitum die Corpus ejus
 Albæ in Cœnobii Choro cum magna
 pompa sepeliebatur, postquam vero hoc
 monumentum anno sequenti die quarta
 Julii fuerat apertum, sacrum Theresiæ
 Corpus omnino integrum, atque adeo
 sanum, sicuti in die obitus sui erat, re-
 pertum est, ac tam gratum exhala-
 bat odorem, ut ejus suavitas per to-
 tam Ecclesiam diffunderetur.